

nario visitari. (47. *Ad tertium*: Ejusmodi consuetudinem etiam immemorabilem esse sublatam decreto cap. 8, sess. 22, *de Reform.*, ac proinde per eam nequaquam excludi ordinarium a jure hospitalia visitandi.)

(48. Capellæ, seu altaria confraternitatum laicorum existentium in claustris, vel Ecclesiis regularium, ab Episcopis visitari non possunt, nisi in iis quæ confraternitatum administrationem respiciunt. Sacra Congreg. Concil. in una Nucerna Paganorum, 23 Junii 1629, quam confirmavit in Urbanien., 23 Septemb. 1690. Et tenuit similiter Sacra Congregatio Episcop. in Fanen., 10 Aprilis 1693, referente Eminentiss. Card. Carpineo. Tenor autem decreti emanati in Nucerna talis est: Nucerna Paganorum, 23 Junii 1692. « Sacra Congr., etc., inhærendo declarationibus alias factis, censuit confraternitates laicorum in Ecclesiis regularium exemptorum institutas subesse jurisdictioni et visitationi Episcopi, illasque ab eo visitari posse, nec non illorum Capellas in eisdem Ecclesiis regularium existentes, in his tamen quæ confraternitatum administrationem respiciunt; et si confraternitatibus incumbit onus manutenendi altare, et illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea quæ respiciunt ipsam manutentionem, cultum, et ornamenta altaris, seu Capellæ, onera Missarum, atque divinorum officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia, quæ ad obligationem eorumdem confratrum relationem habent. » Decreta Episcopo Hieracen. prout sequitur: « Questi Eminentissimi miei Signori mi hanno comandato di significarle, che da questa S. C. de' Vescovi e regolari è stato più volte risoluto, che li ordinari possono visitare le confraternità de' laici erette nelle Chiese de' regolari e d' altre persone esenti, non solo in quanto agli beni, ed entrate loro con rivedere i Conti, ma anche le Cappelle stesse in quanto a quello che riguarda l' amministrazione, ed altri obblighi personali, che spettano alla compagnia, e confratelli ascritti a quella, cioè in riconoscere, se l' entrate ed elemosine, che si danno per ornamento e mantenimento delle Cappelle, e per accrescere ivi il culto divino e la divozione del popolo, siano spese fedelmente, con effetto s' impieghino ad utilità, e in beneficio della stessa Cappella, e non in altri usi; non toccando però il restante che spetta alla cura, e total amministrazione de' frati e regolari, che son padroni di tutto il corpo della Chiesa, dove sono dette Cappelle e confraternità, come gli altari, immagini, ed altre cose materiali affisse, ed utensili sacri applicati a quelle, sopra de' quali nè i Vescovi, nè altri ordinari hanno da ingerirsi, nè usar alcuna giurisdizione, o soprintendenza, a segno tale che non gli è permesso usar alcun atto giurisdizionale nelle sudette Chiese de' regolari, fuora di quanto si è detto sopra. Onde V. S. dovrà governarsi in questa conformità, che tale è sempre stato il senso della Sacra Congregazione. »

(49. Potest Episcopus visitare Capellam,

quæ est titulus beneficii sæcularis, existentem in Ecclesia regulari respectu tantummodo tituli beneficii, ac ejusdem beneficiati, et non ultra. Sacra Congr. Episcop. et Regul., 12 April. 1658. (50. Non potest Episcopus visitare Capellas campestres regularium. Sacra Congr. Concil. in una Tarvisina, 17 April. 1649, ad c. 8, sess. 7, *de Reform.*, ubi, ut refert Pignatell., t. I, consult. 347, propositis duobus sequentibus dubiis: primo, an Episcopus possit visitare Capellas campestres regularium? secundo, an idem possit præcipere Capellanis earumdem, re Missas celebrent, antequam celebretur Missa Ecclesiarum parochialium? Sacra Congr. respondit, ad primum *negative* quatenus Ecclesiæ sint regulares; ad secundum etiam *negative*. (51. Oratoria tamen publica, quæ habent requisita Ecclesiæ, visitantur ab Episcopo, etiamsi sint de pertinentiis regularium, dummodo separata sint a claustris, et campestria. Sacra Congr. Concil. in Casenaten., 23 Septemb. 1690, et in Cortonen. 20 Aprilis 1697, ut refert Monacell., t. I, tit. 5, form. 2, n. 5. (52. Capellas vero, seu oratoria, quæ sunt in grangiis, seu domibus ruralibus regularium, nullatenus visitare potest Episcopus, nec ab eis procuracionem exigere; cum enim non sint loca sacra, aut religiosa, imo nec pia, ut censuit Abbas in cap. *Auctoritate*, de Censibus, num. 1, Fagnan. ibid. in Disceptatione de grangiis, et eorum oratoriis, num. 2 et 9, jam non videtur ex quo capite Episcoporum visitationi subjaceant; cit. c. *Auctoritate*, ubi Fagnan., num. 1, et in d. Disceptatione de grangiis, a n. 6; Ventrigl. in Praxi, t. II, annot. 19, § unic. n. 19; Petra tom. II, Comment. in Constit. 8 Honor. III, num. 58. Vide Fagnan. *loco cit.* ubi suo more hanc conclusionem solide probat. (53. Sic nec etiam potest Episcopus visitare Capellas, seu oratoria, quæ in privatorum domibus sunt, nec ab eis procuracionem exigere. Fagnan., Ventrigl. et Petra locis supracitatis; Pignatell., t. I, consult. 94, sub n. 24, circa medium, ubi citat jura. (54. Ad hæc tamen oratoria, seu Capellas in domibus privatorum, licet non possit Episcopus tanquam visitator accedere, permissum ei nihilominus est videre saltem per viam denuntiacionis aut inquisitionis, an decenter et cum debita reverentia sacrificium Missæ ibi celebretur. Fagnan., *loc. cit.*, n. 25; Ventrigl., *loc. cit.*; Barbosa, lib. Juris Ecclesiast. univers., c. 8, num. 15; Pignatell., t. VI, cons. 98, num. 39; Petra, *loc. cit.*, n. 60. (55. Episcopus dispensare non potest ut Missæ relicte a testatore in una Capella dicantur, vel remittantur in alia, quando satisfieri possunt in propria. S. Cong. Concil. in Hispalen., 30 Septemb. 1580. (56. Capellæ privatorum palatiorum non gaudet immunitate. Sacra Congr. Immunit. in Perusina, 9 Decembris 1631, in Tudernin., 7 Maii 1658, et antea Sacra Congregat. Episcop. in Marsicana, 17 Novembris 1716. (57. Capella carcerum, vel contigua carceribus, non gaudet immunitate. Sacra Congr. Immunit. in Tudertina, 12

Junii 1663. (58. Capella contigua, ut dicitur *al corpo di guardia*, erecta ut milites ibi degentes audiant Missam, maxime diebus festivis, permittitur declarari non esse locum immunem. Sacra Congr. Immunit. in una Nullius Orbetelli, 16 Febr. 1683. (59. Capella ruralis vulgo dicta *Una Maestà* posita in publica via, nisi probetur fuisse constructam auctoritate ordinarii, non gaudet immunitate. Sacra Congr. Immunit. in Spoletana, 2 Martii 1642. (60. Capella sita in palatio abbatiali, habens ingressum ab atrio ejusdem palatii, inserviens publicæ utilitati, gaudet immunitate ecclesiastica, quamvis palatium non sit unitum Ecclesiæ abbatiali. Sacra Congr. Immunit. in una Nullius S. Joannis in Lamis, 14 Nov. 1662. (61. Quando Capella existens in palatio gubernatoris est perpetua et invariabilis, confugientes ad eam gaudent immunitate; secus si sit variabilis et non perpetua. Sacra Congr. Immunit. in Tudert., 6 Maii 1658. (62. Capella, an vendi et alienari a constructoribus et institutoribus alicujus Capellæ in aliqua Ecclesia constructæ; imo neque ullo modo esse permittendas subrogationes personarum in jus Capellæ per aliquod venditionis genus, late probat Joseph Maria Maraviglia in leg. 275 et 276 *Prudentia Episcopalis*; vid. verb. *Sepultura*, a num. 159 ad 162.

ADDITIONES AUCTORIS.

(63. Capellam Pontificiam haberi statuitur in exsequiis S. R. E. Cardinalium. Benedict. XIV, t. I, constitut. 37, incip. *Præcipuum*, § 2. (64. Item Capellæ Pontificiæ celebratio decernitur in basilica S. Mariæ Majoris die festo Conceptionis B. M. Virginis. Idem t. II, in Appendic., num. 9, pag. 47.

(65. Capellæ per octavam SS. apostolorum Petri et Pauli Romæ celebrandæ indicuntur et assignantur: nempe solemnizato cum omni majori celebritate eorum Natali die, ut moris est, in basilica Vaticana. (66. Secunda die infra octavam in Ecclesia S. Pauli apostoli Via Hostiensi Missarum solemnitas in pontificalibus celebrantur, præsentibus Episcopis Pontificio throno assistentibus. (67. Tertia die in Ecclesia S. Pudentianæ, intervenientibus protonotariis Apostolicæ Sedis ex numero participantium. (68. Quarta die in Ecclesia Sanctæ Mariæ in Via-Lata, astantibus causarum palatii apostolici auditoribus. (69. Quinta die in Ecclesia Sancti Petri ad Vincula, interessentibus cameræ apostolicæ clericis. (70. Sexta die in Ecclesia S. Petri in Carcere, assistentibus referendariis signaturæ justitiæ. (71. Septima die in Ecclesia S. Petri in Monte Aureo, intervenientibus abbreviatoribus de Parco Majori. (72. Octava die in Sancta Lateranensi basilica solemnitas absolvatur, præsentibus Missarum solemnitas S. R. E. Cardinalium collegio. (73. Vespere autem Sacras apostolorum reliquias veneraturi solemniter cultu et pari animi devotione ad eandem basilicam pergant nobilissimi viri Senator urbis, et Romanorum civium, et cameræ urbis Conservatores. (74. Pomeridiano autem tem-

pore aliorum dierum, omnes confraternitates urbis per Eminentissimum Cardinalem Vicarium publico edicto intimandæ, statutis suis quæque diebus, ad eam Ecclesiam ubi mane Missa in honorem apostolorum celebrata fuerit, pie et devote procedant. (75. Sic expresse Benedictus XIV, t. I, constit. 83, incip. *Admirabilis*; concedens singulis confratribus processionaliter accedentibus indulgentiam septem annorum, et totidem quadragenarum, et aliis omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui eandem Ecclesiam, ubi statio erit, religiose visitaverint, indulgentiam centum dierum. Vide dictam constitutionem, ubi insuper assignantur motiva propter quæ prædictæ Ecclesiæ præ aliis sint ad id selectæ.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(76. Quo tempore vocabulum hoc *Capella* usurpari cœperit, tum quæ sit ejus et, mologia, erudite pro more explicat Caraf. de Capella Regis, cap. 2, § 1.

(77. De privilegiis Capellarum et capellanorum regum Angliæ, Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Sardinia, et Neapolis agit idem auctor d. tractat., cap. 4, per tot.

(78. Status Capellæ obnoxie juripatronatus an mutari possit incio patrono, vide apud Rotam in Calaguritana *Præminentiarum*, 20 Januarii 1755, cor. clar. mem. Millin.

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(79. De varia Capellarum significatione et origine late tractat Du Cange in Glossario mediæ et infimæ Latinitatis, verbo *Capella*. (80. Capellæ propria significatione dicebantur ædes sacræ, quæ in palatio aut circa palatium regum et imperatorum constructæ erant. (81. Presbyteri et clerici, qui his Capellis præpositi erant, capellani *Palatini* vel regii dicti sunt, creditque Ludovicus Thomassinus, de Discipl. Eccles., part. IV, l. 1, c. 43, præcipuum scopum sacellorum, sive Capellarum regiarum fuisse, ut ibi presbyteri divinum officium persolverent, cui principes cum sua familia possent assistere. (82. Lapsu temporis exemplo regum et principum alii etiam fideles laici cœperunt ad honorem alicujus Sancti exstruere ædiculas sive oratoria, idque subinde separatim ab Ecclesia parochiali, aut alia collegiata vel cathedrali, etiam constituta dote pro sacerdote et fabrica, aliisque ad Missarum celebrationem, aliisque divinis officia peragenda necessariis. (83. Deinde laici non sufficientes exstruere hujusmodi separatas Capellas, sive sacella, cum convenienti dote, cœperunt in ipsis Ecclesiis majoribus tam parochialibus quam collegiatis et cathedralibus, laterales aliquas ædiculas, vel etiam altaria in honorem hujus, illiusve Sancti, vel in memoriam alicujus mysterii exstruere, eisque adnectere annuos aliquot proventus pro presbyteriis, qui his ædiculis vel altaribus præessent. (84. Sed de his Capellis jam pridem statutum, ne ipsæ sine consensu et auctoritate Episcopi, in cujus

diocesi parochia sita est, construerentur. (85. Circa hæc oratoria sive Capellas aut sacella admittenda, in primis attendere debet Episcopus, ne per hæc populus a parochiali Ecclesia nimium abstrahatur, atque hinc ulterius ex illo Ecclesiæ parochialis neglectu oriatur in populo crassa ignorantia, tam circa credenda quam agenda: prospicereque potissimum ut observetur clausula de stylo solita inseri litteris, quibus usus oratorii seu Capellæ conceditur: *Sine parochialis Ecclesiæ præjudicio.* (86. Hujusmodi Capellarum, sive oratoriorum ædificationem aut usum non facile tamen, sed magna de causa Episcopus permittere debet. (87. Dum vero necessitate, vel magna causa exigente, hæc Capellæ concedendæ videbuntur, vult S. Carolus in Conc. Mediol. I. p. II, tit. *Quæ pertinent ad celebrationem Missæ*, ut Episcopi in his designandis vel probandis hæc servant: « Ne sint in interiorum ædium partibus, in quibus domini, vel familia frequentius versentur, sed commode et honesto loco, a cubiculis, tricliniis, et ab aula separato, ad templi formam et regulam propius accedant. Nec ita angusta sint, ut qui Missam audierint ad ostium aut fenestram stare cogantur, aut denique ibi sacris interesse, ubi promiscue profanum aliquod exerceatur, quod fieri omnino prohibemus. » (88. Ulterius ne populus per has Capellas sive oratoria a frequentatione parochialis Ecclesiæ nimium distrahatur, idem Sanctus Carolus insinuat, ut « cui id permissum fuerit, is rarius utatur, ne distracti homines illa commoditate, Ecclesiam Dei minus frequentent, quod exemplo etiam noceat aliis. » (89. Hinc de stylo ordinario in concessione Capellarum excipi solent præcipue per annum festiuitates, ut nimirum non liceat tunc ibidem celebrare, idque conformiter ad vetus Decr. Synodi Agath. apud Grat. dist. 1 de Consecr., can. 55, quo decernitur: « Si quis extra parochias, in quibus legitimus est ordinariusque conventus, oratorium in agro habere voluerit, reliquis festiuitatibus, ut ibi Missas audiat, propter fatigationem familiæ justa ordinatione permittimus. Pascha vero, Natali Domini, Pentecoste, et Natali Sancti Joannis Baptistæ, et si qui maximi dies in festiuitatibus habentur, non nisi in civitatibus aut in parochiis audiant. Clerici vero, si qui in festiuitatibus, quas supra diximus (nisi jubente sive permitte Episcopo) Missas celebrare voluerint, communionem priventur. » (90. Denique stylus hodiernus addit in concessionibus hujusmodi Capellarum sive oratoriorum, ut alii præterquam servitio personæ, cujus intuitu oratorium sive Capella conceditur, necessarii, ibidem audientes Missam ab obligatione eam in Ecclesia audiendi per hoc non liberentur.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(91. Benedictus XIV, anno 1753, die 22 Jan. vetus ordinis Prædicatorum privilegium confirmans atque amplificans, publica sacella et privata oratoria in ædibus, prædiis ac

fundis ad cœnobîa ejusdem ordinis pertinentibus posita, ab ordinariis locorum visitatione exemit, eaque ab ejusdem ordinis visitoribus obiri ac probari jussit his litteris.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

(92. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus Bremond Magister Generalis ordinis fratrum Prædicatorum, quod inter cætera privilegia a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris eidem ordini illiusque superioribus et fratribus concessa fel. rec. Alexander PP. IV itidem prædecessor noster per suas sub plumbo V Kal. Aprilis 1261, expeditas litteras indulset, ut in locis in quibus degerent, liceret eis habere oratoria in quibus cum altari portatili possent Missarum solemniam et alia divina officia celebrare. Subinde vero rec. mem. Benedictus PP. XI, etiam prædecessor noster per alias suas sub plumbo IV Idus Martii 1304, super exemptione a jurisdictione Episcoporum itidem expeditas litteras decrevit Ecclesias, oratoria, domos et loca, quæ dictus ordo, seu illius fratres tenebant, et inhabitabant in futurum, dum et quoties illa tenere et inhabitare contigisset, exempta prorsus existere, nulloque medio Sedi Apostolica Sede pluries confirmata fuisse memoratur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus ordo quamdam possessionem sancti pastoris nuncupatam in diocesi Prænestina existentem, Magistrisque Generalibus ordinis hujusmodi assignatam habeat, ad quam tam Magistri Generales prædicti, quam eorum socii, aliique ordinis dicti fratres de illorum licentia rusticationis causa pluries infra annum accedere solent, et commorantur, ac sacrosanctum Missæ sacrificium in quadam publica Capella muro exstructa, sacrisque suppellectilibus munita pro eorum spirituali consolatione ac commoditate fratrum laicorum memorati ordinis ad illius custodiam semper existentium agrorumque cultorum et agricolarum, aliarumque personarum ad illam adventantium celebrant, et licet ipse Antonius Magister Generalis crediderit Capellam hujusmodi vigore prædictorum aliorumque privilegiorum, ut præfertur, ordini prædicto concessorum, nunquam ab Episcopis Prænestinis visitatam fuisse nec visitari debere, nihilominus transactis mensibus ad suam notitiam pervenerit laicos inibi ad dictæ possessionem custodiam commorantes, absentibus tamen Magistris Generalibus prædictis, seu aliis dicti ordinis superioribus propter ignorantiam privilegiorum prædictorum per ternas vices visitationem dictæ Capellæ ab Episcopis Prænestinis faciendam permisisse, prout ex actis Sacrarum Visitationum id constare asseritur; cupiatque propterea dictus Antoninus Magister Generalis eidem ordini in præmissis a nobis provideri: Nos, qui dictum Antoninum Magistrum Generalem paternis complectimur affectibus, ipsumque ac

dictum ordinem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, dictumque Antoninum Magistrum Generalem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut deinceps in publicis Capellis, seu privatis oratoriis existentibus in domibus, possessionibus et membris, ad conventus ordinis prædicti nunc, et pro tempore spectantibus et pertinentibus, quæ ab ordinariis locorum juxta jus visitari et approbari soleant, debeantque, licet ab illis, nec visitata, nec approbata fuerint, nihilominus sacrosanctum Missæ sacrificium tam per regulares sive ejusdem, sive alterius ordinis, quam sæculares presbyteros tuto celebrari possit, Missamque inibi audientes diebus festivis præcepto Ecclesiæ hæc de re edito satisfacere intelligantur, absque tamen ullo jurium parochialium præjudicio, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus et indulgemus. Insuper dictas Capellas publicas et privata oratoria a quacumque ordinarii locorum auctoritate, superioritate, et dignitate fungentis visitatione, et subjectione, auctoritate, et tenore prædictis eximimus, et liberamus, ac exempta et libera esse decernimus, volumus et declaramus; ea tamen lege, ut ad ejusmodi effectum, nempe quoad visitationem per locorum ordinarios super illarum, et illorum fabrica, ornatu et suppellectili sacra faciendam, satis sit et sufficiat, et quod dicta oratoria, Capellæ et altaria visitentur, et approbentur, ac visitari, et approbari debeant a patribus visitoribus dicti ordinis, onerata super his conscientia tam dicti Antonini moderni, quam pro tempore existentis ejusdem ordinis Magistri Generalis. Decernentes easdem præsentis litteras firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac quarumcumque Ecclesiarum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione

apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresso derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 22 Januarii 1775. pontificatus nostri anno decimo quinto

Pro D. Cardinali Passioneo,
Joannes Florius Substitutus.

ADDITIONES CASINENSES.

(93. Capella est locus coopertus ad divina celebrandum, et differt a sacello in eo, quod sacellum erat olim locus diis sacratus sine tecto ad sacrificandum, quo hodie non licet celebrare, nisi in casu necessitatis. Ildeph. Perez de Anniversariis et Capellaniis, lib. II, cap. 1.

(94. Pœnitentiæ Sacramentum in privatis Capellis administrari non potest; nam in rituali præscribitur: « In Ecclesia, non autem in privatis ædibus confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quæ cum inciderit, studeat tamen id decenti, ac patenti loco præstare. »

(95. Generales et provinciales regularium gaudent facultate erigendi in suis conventibus et collegiis privata oratoria ad divinum cultum deputata absque Episcopi, aut etiam Pontificis licentia, et in ipsis unam, ac plures Missas celebrare faciendi eodem die, sive a regularibus, sive a sæcularibus sacerdotibus celebrentur, ratione privilegii localis, cujus omnes sacerdotes frui possunt; ita P. Rossignol. de Eucharist., quæst. 8, art. 14, n. 1 et alii. Privilegia enim regularium quoad oratoria privata non revocata fuerunt in Concilio Trident. In supradictis regularium privatis oratoriis seu Capellis omnes fideles Missam audientes diebus festivis, etiam iis, quibus prohibetur celebratio Missarum in oratoriis privatis, satisfaciunt præcepto, eo quod gaudeant hæc oratoria privilegiis, ac si essent publica, utpote dumtaxat ad divinum cultum deputata per se et non tantum per accidens, hoc est permanenter, et non solum transeunter, quod contingit, quando utitur altari portatili, etc., et privilegium locale sit, et non solum personale; unde illo frui possunt omnes Christi fideles. Tamburin. de Sacrif. Missæ, lib. I, cap. 4, § 3, n. 6, ut citat Cavalieri Op. liturg. tom. V, p. 5.

CAPELLANIA.

SUMMARIUM.

1. Capellanæ sunt in triplici differentia, scilicet Capellanæ mercenariæ collatiivæ, et gentilitiæ. — 2. Capellanæ mercenariæ, quæ sint? Et quare mercenariæ dicantur. — 3. Tales Capellanæ dicuntur

FERRAR. II.

etiam manuales, et ad nutum revocabiles. — 4. Capellanæ collatiivæ quæ sint. — 5. Quare dicantur collatiivæ. — 6. Capellanæ gentilitiæ, seu jurispatronatus, quæ sint. — 7. Episcopus nequit ullimode excludi a collatione, seu institutione talis Capellanæ